



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 23. De officio Archidiaconi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi.

1. *Quis dicitur Diaconus: & minus illius.*
 2-3. *Quis Archidiaconus: & munus illius: in quibus consistat.*

AB soluto tractatu ordinationem seu ordinandorum & præficiendorum, sive explicatis modis, quibus ad dignitates Ecclesiasticas promoveri contingit: nunc agendum est de dignatum officii, ut sciat, quo pacto quisque in dignitate constitutus, officio seu munere suo fungi debeat. Quia vero Archidiaconus post Episcopū in Ecclesia Cathedrali dignitate major est, *s.e.* Ad hoc *7. b. t.* atque etiam potestate, cum secundum Card in Clem 2. De præbendis, plura ex jurisdictione seu fori contentiolo competant Archidiacono, quam Archipresbytero, cui cura exercitumque fori pœnitentialis potissimum incumbit, ut patet *ex l. & 2. b. tit. & can. perl. §. Archipresbyter Distinct. 25. i. de o. illo videndum est primo loco.*

1. Ubi notandum in primis est, Diaconi non nomen esse generale, posseque etiam personis non Ecclesiasticis accommodari, ob generalem significacionem verbi, à quo deducitur. Nam dicitur Diaconus à Græco verbo *λειχων*, quod Ministro seu famulorū significat, & ad diversa ministeria referri potest. Unde & Diaconi Latinē Ministri dicuntur, *can. Cleros distinct. 2.* & eorum alij Sæculares, alij Sacri dici possunt. Sumit tamen hic nomen illud specialiter profacio, diciturque comparatione Presbyteri, cui ministrare, subseruire & subjici debet, *can. Legitimus distinct. 93.* in ijs, qua traduntur in *can. Perfectus & ad Diaconum Dist. 25.* sicut in veteri Testamento Levita, in quorum locum Diaconi successerunt, sacerdoti legis antiquæ ministrabant. Diaconum ordinatur, inquit Gregorius, solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius ponit, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, *can. Diaconus dist. 2. 3.* & sub certis verbis ei traditur stola & codex Evangelij: stola quidem, quia

Evangelium, quod per Christi jugum figuratur, lectuius est.

2. Inter Diaconos sunt, qui inserviunt Presbyteris simplicibus, quibus & subjiciuntur, locumque dignorem cedere debent, *can. Pervenit, & similibus Dist. 93.* Alij vero inserviunt Episcopo, qui proinde Archidiaconi, quasi Principes seu primi Diaconorum dicuntur; sicuti Archiepiscopus dicitur Princeps seu primus Episcoporum, *d. can. Cleros Dist. 2.* Aliterque Archidiaconus etiam oculus Episcopi vocatur, & vicarius ejus reputatur, *e. 7. b. t. Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de reformat.* tamquam qui velut in specula & statione positus prospicere debeat actus totius Ecclesie & ad Episcopum referre *can. Diaconi Ecclesia & ibi Glossa, & alius, Dist. 93.* Atque ratione Episcopi, cui inservit, dignior est Presbitero & Archipresbytero, non fungente eo officio, *e. 1. inf. de officio Archipresbyteri.* Eique jure communī adhæret dignitas, quæ major censetur Monasterijs ipsis & Præposituris corum.

3. Quantum vero ad officium seu munus Archidiaconi attinet, prævalent ea in re constitutiones & consuetudines Ecclesiarum, sicut & in alijs officijs, *juxta c. Cum olim sup. De consuetudine:* & ea penè tot sunt in officijs Archipresbyteri, Præpositi, & Decani, quot sunt Ecclesiae; ijsque standum est, & maximè attendi debent.

Cessantibus vero consuetudinis locum habent, que tum in *d. can. Perl. dist. 25.* tum in hoc Titulo nostro, tum alibi passim habentur: veluti quod ipso jure vicarius sit Episcopi in omnibus; omnisque cura in Clero, tam in urbe quam extra per parochias habitante, ad eum pertineat, *c. 1. b. tit.* quod & curam habet animarum, *c. Cum in tunct. 7. §. inferiora sup. De elect. & Diaconis, Archipresbyteris, Presbyteris, alijisque Clericis sibi subjectis imperet:* quod tertio quoque anno circumire & visitare teneatur diocesim, si Episcopus hoc munus per se obire non possit, *d. c. 1. b. t.* & singularis annis propriam Ecclesiam, *c. Mandamus 6. hoc tit. juxta modum præscriptum Conc. Trid. d. Sess. 24. cap. 2.* Ejusdem est audire iurija singularium, & cuncta, quæ correctione & emendatione indigent, corrigit & atque emendare: nisi ardua sint negotia & excessus sit gravis, ita ut majoris necessaria sit prætentia & major auctio-

au^roritas, d.c. *Ad hanc tit.* Insuper curare debet, ut Ecclesia sacrae recte maneat & sollicitate custodiatur, e.3. hoc t. officium divinum rit^e fiat, e.2. h t. ut vacante Ecclesia parochiali per substitutum aliquem cultus divinus peragatur. Choppinus lib.1. *De sacra Politia* t.8. n 19. Item examinate & sistere Episcopo ordinando, de mandato tamen Episcopi; quod examen scilicet, quandoquidem illud hodie ad Episcopum specter ex Conc. Trident. Ad hanc examinare promovendos ad beneficia, eodemque instituere in beneficiis: intertereo possessionem Abbates & Abbatissas, cap. *Ve nostrum*. q.b.t. Aliaque familia sui muneris exequi debet: quæ quia varia sunt, sive jus commune sive consuetudo, cuiusque Ecclesia Cathedralis spectetur, sit, ut interdum in una Ecclesia plures Archidiaconi constituantur, prout in Cathedrali Leodiensi cernere licet.

Nemini tamen sine mandato & licentia Episcopi curam animarum, obtentu alicujus consuetudinis, committere debet, e.4. h.t. Similiter uoc de jure communi potest excommunicare, suspendere, vel interdicere, e.5. h.t. *Junctio e. Licit inf. De paenit.* licet de consuetudine id aliquando permittatur, e. *Dudum* 54. ver. *Sed cum ius jure sup. De electione.* Non potest etiam dare commendacitias seu dimissorias ad suscipiendo aliibi Ordines e. *Significasti* 8. h.t. Conc. Trid. *Seff. 23 cap. 11. De reformat.* Non item potest visitare monasteria, nisi in quantum consuetudo permittit, e. *ult. hoc tit.* Similiter non cognoscit hodie caussas matrimoniales, & criminales, ex Concil. Trident. *Seff. 24. cap. 20.* nec caussas concubinatus. *idem Conc Seff. 25 cap. 14. De reformat.* Fructus & jura vacantium Ecclesiarum parochialium subinde ex consuetudine vel privilegio haber, sic tamen ut interim onera adimplerent cureret.

Ad Archidiaconatum promoven si xxv annis nati sint oportet, ac digni, qui saltene Diaconi sint, & ex Conc. Trid. d. *Seff. 24. cap. 12. de reformat.* Licentiati in Theologia vel Jure Canonic.

—8(†:)8—

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

1. *Quis Presbyter.*
2. *Quis Sacerdotes dicantur.*
3. *Eorum munus & distinctio.*
4. *Quis Archipresbyter.*
5. *Alius Urbanus, alias Ruralis.*

Archidiacono proximus dignitate & gradu in Ecclesia Cathedrali est Archipresbyter: de cuius proinde officio sequitur.

Quod ut melius intelligitur, sciendum, Presbyterum Graecæ, Latinè Seniorem dici. Et quia cum olim, tum etiam hodie in Republica bene constituta dignitates & honores majores deferri senioribus solent. *I. Ut gradatim D. De munib.* ideo hoc nomen Presbyter, non solum ætatis nomen est, verum etiam dignitatis; & qui Sacerdotes vocantur, dicuntur Presbyteri, non modo ob ætatem vel decrepitam levitatem, sed ob dignitatem & honorem, quem acceperunt, *can Cleros* §. Presbyter *Dicit* 21. Est enim venerabilis senectus & gloria senum est canities, quæ sapientiam designat *can. Porro Dicit* 94.

2. Sacerdotes verò dicuntur, quasi sacrum dantes, nomine veluti composito ex Graeco & Latino, d. *can. Cleros* §. *Sacerdos, juncta Glos.* ibid. Atque ita Sacerdotis, sicut & Presbyteri, nomine generali notâ potest latius sumi quam pro eo, qui initatus est sacro ordine scilicet pro omniaco, qui quodlibet offerat sacrificium: quo pacto Conc. Laodicenum in *can ult. Distincti* 32. ostendit eas mulieres, quæ apud Graecos Presbyteræ appellantur, apud Latinos dici viduas seniores, univiras, & matricarias, & in Ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere. Gentilium porrò sacerdotes dicebantur Flamines, d. *can. Cleros* §. *Sacerdotes aures*, ubi redditur ratio istius appellationis.

3. Ordinantur propriè Sacerdotes ad Sacrificium; eorumque præcipuum munus & officium in ordinatione statuitur, conficerre scilicet